




4

DE ILLVST^{M.} EQVITE
IO. FRANCISCO
CAMPANEA

Ad Bellum cum Equitatu suo proficidente.

Celij Maphioli Salod. Carmen.



VERONÆ, Typis Angeli Tam. 1615.
Permisi Superiorum.



A DIVNGE Plebis excitatis plausibus
Thalia voces musicas,
Felix & omen, auspicia felicia,
Et concinas prosperrima
Omnia Duci **CAMPANE** fortissimis
Brenniadum amor qui est, qui decus
Et Vrbis vnicum, fluit qua nobilis
Athesis citatis fluctibus;
Antiqua per quem militaris gloria
Maiore surgit nomine;
Cui nec fuit, nec est, erit nec artibus
Qui conferatur bellicis.
Hic fortis Equitum Ductor ad fera prælia
Centena cogit pectora,
Contracta (mirandum) fugacibus & equis
Donata, per bis tempora
Diurna dena; quis putet! quæque Chalybe
Vulcanio circundedit.
In ære tota fulget acies, horrido
Accingitur gladio femur,
Cauata cui dependet ante fistula
(Ætnæ quam antra fuderant.)
Irata Celi Regis imitans fulmina
Fragore magno percita,
Micantibus cum mixtus æther ignibus
Crudele fulminans tonat.

A 2 Lon-

Longo ecce procedit quaternis ordine
Equitibus instructa hæc Phalanx.

DUX altus it tergo SUPERBI, currere

Qui doctus est per horridos

Campos, & exiguis pede cito in orbibus

Molles fugas reflectere,

Cursus, recursus, & reflexus necere,

Compescier freno citus,

Et concitari tardus effusis lupis.

HIC vectus armis Maximus.

Tanti sonipedis tergo, in hostes barbaros

Mouet, ferens Victoriæ

Spem certam, aperta signa vultu nobili.

Quid prospere non auspicer?

Cum belliger dederit Gradius cassidem

Feroce surgentem cane,

Quo firmet ære fulgidas capitis comas

Venustiores sydere!

Cum Pallas Aegidos decorum miserit

Insigne, quo pectus tegat!

Et ense diræ cupidis præcinxerit

Bellona sæuiens latus!

Cum Iuno nascenti, Camenæ, & Gratiæ

Vultu benigno riserint!

Donarit Hermes eloqui & facundius

Vena oris insiccabilis

Victor

Victurus eià Principum decus; & amor
Densos in hostes currito.

Iam video, naureas morarum tempora;

Viros ad arma cogere,
Et primus optas sœua initre prælia,
Et illa ponere vltimus.

Vexilla tremulus martia quatit Aëolus;

Et ære tubicen bellicus

Iam dat canoro signa pugnæ horrentia;

Iam tota tellus contremisit

Percussa cornipedum fragore; iam fremit

SUPERBVS ardens concitæ

Amore pugnæ, stare qui nescit loco.

Discussa glans è fistula

Personat, & ater concipit nubes polus,

Et nocte cœlum volvitur.

Concurritur, res cominus cœpta est agi,

Hæret pedi pes, vir viro.

Ut cerneris FRANCISCE præstans munia

Fortissimi impavidus Ducis;

Hinc agmen excurrans, & inde ferreus

Accendis, vrges, vulneras:

Hinc plurimus sanguis fluit, mors plurima

Hostilia premit agmina.

Vllis forabilis nec ictibus, ruis

Quo prælium exardet magis:

Vbiq;

Vbiq; signa dexteræ apparent tuæ
Furentis, & qua volveris
Iam nullus audet prælio contendere;
Fuga at salutem quæritat,
Vel arripit collo libens tua vincula,
Seruitium & optat perpeti.
Cœlo ipsa decidunt corrusca sydera,
Signis & assident tuis
Visura dextræ, & facta digna pectoris,
Queis inferendus es Deis.
Quòd nescias vinci, scias quòd vincere
Te Leda credit Castora;
Tê Liberum dicit minorem Lidia,
Tê Roma Scipiadas suos.
O tê quibus, cum signa Victoria domum
Referes, sonis, applausibus
Excipiet obuius Athesis! de turribus
Dant era signum gaudij:
Et tota proprijs Vijs relictis sedibus
Ornata floribus comas,
Triumphe dicit io, reduci io concinna
Pçana lçtum: quilibet,
Et te suum columen, suum vocans decus
Dignum perenni marmore
Lauro virente caput decorum perficit
Ad summa honoris munera.

FINIS.